



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## **Claudii Fleurii Abbatis Historia Ecclesiastica**

Ab anno Christi 1562 usque ad annum 1563

**Fleury, Claude**

**August. Vind. [u.a.], 1771**

**VD18 9011860X**

§. 50. Iteræ horum Oratorum, ac Cæsareorum sollicitationes.

---

[urn:nbn:de:hbz:466:1-66641](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-66641)

§. L.

Sæc. XVI.

A. C. 1562.

*Iteratæ horum Oratorum, ac Cæsareorum sollicitationes.*

Verum ad ejusmodi querelas adeo non habebatur ratio, ut etiam Oratores brevi novam querendi ansam aucuparentur, cum ipsis per literas nuntiatum esset, quod Insulanus Regis apud Papam Romæ Orator, ut toto Menie Septembri Præsules Galli exspectarentur, mandato regio postularit, Papa vero responsione sua rem ad Legatos suos rejecerit, cum iisdem de ejusmodi mandatis decernendi potestatem commisisset: ceterum ad hoc Lanfacus reposuit: „perpetua memoria dignum est, quod Pontifex rem referat ad Legatos, Legati autem nihil agere valeant absque Synodo, & Synodus nihil possit audire nisi per Legatos: hanc igitur ratione Rex, aliique lactantur, & ludibrio exponuntur. „ Nihilominus Franciæ Oratores novis rursus sollicitationibus Legatos fatigabant, per integrum mensem, aut omnino per sex hebdomadas proximam Sessionem differri postulantes, ut Franciæ Episcopis nondum adventantibus, Lusitaniæ vero Præsulibus, quorum adventus indies expectabatur, longius temporis spatium tribueretur: speciatim autem Lanfacus

*Pallav. c. 7.**n. 5. & 7.**Sarp. l. 6.**Mem. l. 6.**Hist. Eccles. Tom. XLV.*

X quere-

Sæcul. XVI.  
A.C. 1562.

querebatur, quod Synodum propter Gallos esse convocatam sæpius repeteretur, & tamen illorum adventum præstolari negaretur: insuper his addidit quod hac ratione Regi Domino suo injuria inferretur, adeo, ut necessario ad alia recurrendum esset remedia, cum validæ rationes, quibus suam petitionem fulciret, benignis auribus non exciperentur.

Insuper Cæsareorum, ac plurimum aliorum Principum opinio eo abibat, ut Sessio differretur: quinimo Borromæus Cardinalis Cæsaris epistolam transcribit jussit, eamque ad Legatos, quamvis illa ad eorum manus non devenisset, transmissit: porro in ea Cæsar Borromæo exponebat, quod censeret, articulorum de Sacrificio definitiones esse prorogandas, atque expectandum, donec comitia Francofordiæ celebrata absolverentur: Id Imperator ideo petiit, eoquod vereretur, ne sanctiones in proxima Sessione promulgandæ Protestantes Principes nimium irritarent, ac Filio suo in Regem Romanorum inaugurando obstarent, prout tamen Cæsar in proximis comitiis fieri desiderabat: hæc igitur Gallorum, Cæsareorum, aliorumque Principum in una petitione (\*)

(\*) Quam dispari utriusque fuerit petitiō, quibus

concordia adeo Legatos commovebat, *Sæcul. XVI.*  
 ut speciatim Nuntium ad Papam ablegarent, a quo denique, quid consilii in *A.C. 1562.*  
 præsentis rerum vicissitudine caperent, edoceri possent, quapropter totam rei gestæ seriem ad eundem perscribebant.

§. LI.

*Papæ responsum de differendis decretis circa Sacrificium.*

Pontifex ponderatis Legatorum rationibus hac in occasione nimium rigorem obesse ratus, ut id, quod recusare haud poterat, saltem beneficii loco haberetur, Legatis hunc in modum respondit: „Quamvis ego Gallos minime „adventuros putarem, considerabam „tamen, quod satius esset uberiores in „eos etiam comitatem præstari, etsi perperam eadem usuri essent, eoque „magis, ubi agitur de rebus, quæ ingentis in divinum obsequium, ac bonum „publicum sunt momenti, præterquam „quod cognoscam eo simul ferri vota „Cæsaris, nec re ipsa grave detrimentum prævideo in retardandis de sacrificio Decretis, quominus ad Sessionem „futu-

*Pallav. n. 10.*

quavis obvio oculo dispicere potest: quinam autem ceteri fuerint Principes, qui eadem postularint, Continuator caute reticet.